

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

De multiplicibus auxiliis particularibus & quæ eorum peculiariter auxilia  
gratiæ dicantur. disput. 35.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

*præualebis: egredere, & fac ita. Narrataq; visione illa prophetica, sibi offensa, addidit Michæas: Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendaci in ore omnium prophetarum tuorum, qui hoc sunt, & Dominus locutus est contra te malum. In quibus verbis, illud verbum, egredere, & fac, quod effigiem habere videtur imperii, idem valet, quod id tibi permitto, & liberum facio, in pœnam peccatorum Achab. Et verba illa: Ecce dedit Dominus spiritum mendaci, intelliguntur, permittendo ut Satan transfiguraret se in Angelum lucis ad decipiendos prophetas: per visionem namque istam Michæas offensam describitur, tum consilium diuinum, non cum Angelis malis, sed apud ipsum nuntiet Deum habitum, tum Angelorum, siue illi boni siue mali sint, obtemperatio atque seruitus, qua ab arbitrio & voluntate Dei per omnia pendente, tum denique promptitudo diaboli transfigurantis se in Angelum lucis ad decipiendos homines, si ei permittatur, & permisso qua eidem Deus in pœnam Achab permisit ut Prophetas illos eluderet. Quando vero Michæas dixit Achab: Ascende & vade prospere, & tradet Dominus in manus Regis, ironice locutus est. Sicut & Dominus dū ad Adamum dixit: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. Quod animaduertens Achab ex ipsa verborum pronuntiatione, addidit: Iterum atque iterum adiuro te, &c.*

*Ad eum etiam modum, que deceptio Achab per Prophetas falsos solum fuit à Deo permittente, à demone autem suggestore, intelligendum est illud Ezechieli 14. Homo qui posuerit immundicias in corde suo, & venerit ad Prophetam interrogans per eum me: Ego Dominus respondebo ei in multitudine immundiciarum suarum, ut capiat, &c. Et infra: Ego Dominus decepi Prophetam illum, permittens nempe in pœnam iustum interrogantis, ut deciperetur.*

Multò apertius permisso Dei exprimitur nomine præcepti. Regum, cap. 16. Vbi de Semei coniuncti maledicta in Dauidem, dum Absalonem fuseret, dixit Dauid: Domini præcepisti ei ut malediceret Dauid, & quis est qui audiat dicere, quare sic fecerit? Et infra: Dimitte eum ut misericordia iuxta præceptum Domini. Cernens enim Dauid illud etiam permisum esse à Deo in pœnam suorum delictorum, decretum diuinum quo permettere statuit peccatum Semei ad punitionem Dauidis, appellat præceptum Domini. Quasi diceret, à Deo est haec maledictio ministerio Semei in pœnam meorum delictorum, à Ieo, inquam, non incitate, sed permittente, siuque prouidentia diuina & vtente maledictione illa in pœnam meam. Unde satius reputauit se Deo subiisse, & contumeliam illam æquo animo ferre, quam contra Semei commoueri. Lege Bernardum ser. 34. in Cant.

Simili quoque expositione vtendum est in explicationis quibusdam locis quæ Diuus Augustinus recenset libro quinto contra Julianum, capite tertio. Et de gratia & libero arbitrio capite vigesimo, & viigesimo primo. Ac licet Augustinus eidem in locis satis aperte doceat, Deum non esse caufam peccati: & praterea negandum non sit Deum solere interdum immittere peccatoribus timorem, aut alium motum, ne ea effugiant, quæ in eis, non culpa, sed pœna rationem habent: contrà vero iis, per quos ab eo puniuntur, solere tribuere vires, & audaciam, quibus & bene & male vt possint, cum tamen prævidat ciuimodi rebus eos abusuros ad peccata, atque in perniciem aliorum, quos Deus punire intendit: numquam tamen concedendum erit, eos vel moueri, vel impelli à Deo ad talium peccatorum actus, quod ex iis, quæ hactenus docuimus, satis manife-

A stum est. Nescio tamen utrum Augustinus (qui aliis in locis, quæ partim hac disputatione, partim disputatione decima, citauimus, nobiscum omnino consentit) contra Julianum, & de natura & libero arbitrio locis citatis, aliquid amplius velit: quod plane vel admittendum non est, vel ex aliis locis eiusdem Patris, pie erit exponendum.

## DISPUTATIO XXXV.

De multiplicibus auxiliis particularibus, & quæ eorum peculiariter auxiliagratie dicantur.

**E**xplicauimus hactenus concursum Dei generalis, & quo pacto cum libertate arbitrij contentiat: idem deinceps circa particularia auxilia, quibus ad spiritualem salutem, vitamque æternam adiuuamur, præstandum est. Ea vero multiplicia sunt & varia: quamvis autem omnia, quatenus gratis præordinantur, æternaque ipsius prouidentia pellari consueuerunt, à quibus opera nostra habent quod ordinis sint supernaturalis, & quæ vel tamquam dispositiones ad gratiam gratum facientem, vel ad incrementum illius, meritumve vite æternae, ad sempiternam conferunt felicitatem. Quo fit, ut *disputatio* neque externa prædicatio verbi Dei, promulgatio *disputatio* que Euangeli, neque obiurgationes, ac exhortationes, siue hæc omni verbo huic scripto fiant, neque denique conatus totus Ecclesiæ, quo vel in adducendis hominibus ad fidem, vel in eis permanendi ad penitentiam, aut in conferuandis, ac promouendis filiis suis laborat, nomine auxilia gratia, comparatione corum, qui talibus mediis ad spiritualem salutem adiuuantur, sint intelligenda, ut de auxiliis gratia, in sequentibus disputationibus erit nobis sermo. Imò neque miracula ipsa, donum propheticæ, genera linguarum, sermo scientia, sermo sapientia, & alia gratia aliquibus de Ecclesiæ gratis in aliorum utilitatibus collata, computanda sunt inter auxilia gratia, ut de eis nunc loquimur, comparatione eorum qui ad fidem, vel ad penitentiam per ea dona adiuuantur. Neque item inspirationes, cogitationes, pietas, ab Angelis sanctis absque alio speciali auxilio Dei excitata, terrorique aut alii affectus ab eisdem commotione humorum corporis, atque spirituum animalium similiiter excitati quibus ad bonum allicimur, & à malo deterreantur, sunt inter auxilia gratia, ut modo loquimur, seferenda: sicut neque compreßio illa, quæ damonem coërcent, ne nos impugner, contrariaq; cogitationes, atque affectus exciter. Etenim quamvis hac omnia, & alia his similia, peculiares auxilia sunt, quæ liberum arbitrium adiuuant, tum vt in officio pro sua libertate se contineat, tum etiam vt, praesente auxilio gratia presè sumptu, cooperetur opera supernaturalia, quæ ad sempiternam felicitatem modo paulò ante explicato spectent: quia tamen, neque singula, neque omnia simul sumpta, satis sunt, ut abique alio auxilio Dei aliquid efficiat, quod ordinem gratia ex eo attingat, quod supernaturale sit prædicto modo, ad sempiternaque conferat felicitatem, appellari non merentur auxilia gratia presè sumpta, quo modo ea hoc loco accipimus.

Aduerendum tamen est, cuiusmodi auxilia particularia comprehendendi in auxilio illo quotidiano, quo pœna disputa-

*quo ad per-  
seuerandum  
in gratia in-  
digemus qua-  
estudat.*

disputat. 14. memb. 3. disputat. 17. & sequentibus dicebamus viros iustos indigere, vt diu in accepta iustitia perseuerent. Etenim auxilium illud, vt eisdem in locis dicebamus, non est simplex, quod semel tantum impendatur, sed multiplex, quo per temporis spacia variè nobis Deus subuenit ne in lethale peccatum ruamus, nunc hostem comprimendo, ne impugnet, nunc timorem, aut aliù pium affectum variis modis excitando, nunc auxiliis gratia propriè dictæ liberi arbitrij vires augendo, variisque aliis modis opitulando. Quare quòd auxilium quotidianum ex pluribus, potentiorib[us]que eiusmodi auxiliis coauerit, eo pauciora auxilia gratia in eo sufficient ad diu iustitiam semel acceptam conservandam.

Quia ergo facile cuique erit manifestum, quoniam p[ro]acto libertas arbitrij nostri cum iis particularibus auxiliis cōtentat, quæ inter gratia auxilia peculiarter non annumerantur, eò quòd talia auxilia ferè solum sint, vel remontes tentationis & impedimentorum, quòd facilius libera nostra voluntate ad Deum accedamus, viāmque mandatorum illius curramus, vel quasi suasiones, & inuitationes ad id, quæ proinde auxilia liberum nostrum assensum, accessum, & cursum relinquunt: sequentibus disputacionibus solum nobis erit fermo de iis auxiliis, à quibus actus credendi, sperandi, diligendi aut posnitendi, quibus adulterii libere se ad gratiam gratum facientes disponit, habet, quòd supernaturales sint, & quales ad salutem oportet, tamquam dispositio[n]es ipsi iustificationis dono commensuratae, ac accommodatae: nec non de iis auxiliis quibus similia opera, p[ro]st iustificationis donum adeptum, exercentur. Quamuis autem magna ex parte disputat. 8. 9. & 17. explicara sint, neque illa sint hoc loco reperenda, aliquid tamen est addendum, vt vis & qualitas horum auxiliorum, ordique ac influxus totus Dei nobiscum ad eas actiones plenius intelligatur, si que magis perspicuum, quantum actiones illæ à libero arbitrio nostri influxu pendent, eique tribuendæ sint, & quo p[ro]acto nostra libertas in illis exercendis cum eiusmodi gratia auxiliis, diuinòque ad eadēm actiones influxu consentiat. Leborum autem precor, vt pendulum patiatur intellectum, quousque re hac difficulter per partes variis disputacionibus paulatim explicata, tandem seriem totam diuinī influxus ad has actiones, similique cooperationem nostram, nec non quid ad vnamquamque earum conferant in particuliari auxilia, quibus Deus nobiscum cooperatur, nōsque ipsos præuenit, explicitemus.

### D I S P U T A T I O   X X X V I .

*Quo p[ro]acto Deus ad supernaturales actus cum libero nostro arbitrio concurrat.*

**D**isputatione octava, & sequentibus satis dilucidè ostendimus, quatenus tum à libero nostro arbitrio, tum etiam à conatu Ecclesiæ pendeat collatio eiusmodi gratiarum præuenientium, etsi ex sola Dei misericordia, ac merè gratis, & non propter bonū aliquem usum liberi arbitrij à Deo conferantur, neque omnibus distribuantur æqualiter. Ostendimus præterea Deum semper praefato esse uniuersique, facere volenti quod in se est, tantum ut minimum harum gratiarum conferre, quantum ei sit satis, vt iustificationis donum, vitamque æternam consequatur. Ostendimus insuper de fide esse eiusmodi gratias præuenientes, etiam quando Deus per

**A** eas iam actū existentes librum nostrum arbitrium excitat ad credendum, sperandum, diligendum, aut p[ro]nentendum vt oportet, nullam necessitatem libero arbitrio imponere, sed illi integrum esse gratia ita excitanti non consentire, atque adeo nec credere, nec sperare, nec diligere, aut p[ro]nentire, vt inuitatur, calsamque gratiam excitantem in suam ipsius perditionem relinqueret, atque ita definitum esse in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. & canon. 4.

His ita constitutis, cū tangēt Deo ac excitante nostrum arbitrium per auxilium gratia præuenientem, librum illi sit consentire, aut non consentire atque adeo elicer, vel non elicere actū credendi, sperandi, aut p[ro]nentandi, constat profecto liberum nostrum arbitrium, & gratiam illam præuenientem, esse duas partes vnius integræ cause actus credendi, sperandi, aut p[ro]nentandi prout ad salutem oportet, singul[is]que eiusmodi actus pendere ab influxu tam liberi arbitrij, quam gratia præuenientis: atque à libero quidem arbitrio habere vt actus illi quad substantiæ sint credere, sperare, aut p[ro]nentire: ab influxu vero gratia præuenientis habere, vt sine supernaturales & quales ad salutem sunt necessarij. Quare quiuis illorum actuum totus est à libero arbitrio, & totus à gratia præueniente, seu à Deo per eam tamquam per supernaturale instrumentum in eundem actum influente: at à neutro est, vt à tota & integræ causa, sed vt à parte integræ cause.

Gratiam præuenientem rem esse distinctam ab actibus, ad quos liberum arbitrium à Deo per eam excitatur, tametsi non defuerit, qui contrarium dixerit, sat[is] est perspicuum. Actus namque illi à libero emanant arbitrio; gratia vero præueniens minimè. Item gratia illa causa est efficiens vna cum libero arbitrio eorumdem actuum: causa vero efficiens res est distincta à suo effectu. Præterea gratia illa p[ro]cessu redi, libero arbitrio non consentiente, neque cooperante ad actus, ad quos hominem excitat, & à Deo confert: ergo res est omnino ab eis distincta.

Cū autem tam liberum arbitrium, quam gratia præueniens sint cause secundæ actuum credendi, sperandi, & p[ro]nentandi, vt oportet: nulla vero causa secunda, etiam si supernaturale sit, efficere quicquid possit, nisi à Deo influente simul immediatè per concursum generalem in effectum adiuvetur, idque propter quòd omnis uniuersim effectus sicut à Deo p[ro]cedet immediatè, vt conservetur, ita etiam v[er]itatis, vt disputat. 25. & sequentibus ostendit[ur] est: liquidò sanè constat, vt liberum arbitrium, vna cum gratia præueniente producat quemcumque illorum actuum, necessariū esse, vt Deus quoque vna cum illis immediatè in actum producendum per concursum suum uniuersalem influat. Quòd fit, vt qui[uis] illorum trium actuum, licet sit unica actio (cuius sit proprius assignandus terminus productus, vt quæst. 12. art. 2. hucus primus partis ostendit[ur] est) tres nihilominus habeat partes vnius integræ causa, à qua ita emanat totus, vt à singulis etiam paribus, partialitate, vt vocant, causa totus etiam emanet, diverso tamen modo. Etenim à Deo influente per solum concursum generale emanat vt à causa uniuersali, à qua proinde nō habet magis quòd sit assensus credendi, aut dolor de peccatis quam vel actus oppositus, vel actus cuiuslibet alterius potentia. Ab influxu vero liberi arbitrij, vna cum notitiis & ceteris necessariis, vt quoad substantiæ actus producatur, habet tamquam à causa particulari, vt quoad substantiam actus, sit potius assensus fidei, aut dolor de peccatis, quam aliquis alijs diuersus actus. A gratia vero præueniente, seu à Deo vt per illam tamquam per suū

*Gratia pre-  
ueniens, &  
liberum ar-  
bitrium, vna  
sunt causa  
integræ a-  
ctuū qui ad  
iustificatio-  
nem requi-  
runtur.*

*Gratia pre-  
ueniens res  
est distincta  
ab actibus  
ad quos ex-  
citatur.*

*Etiam gene-  
rali Deo con-  
cursu ad a-  
ctuū iustifi-  
cationis esse  
opus,*